

446

444

450

440

455

435

495

395

345

Ende

Anfang

431

sentiret se moritum, jussit se gladio feriri, ne diceretur a
foemina percussus, Judic. IX. Secunda Theba est in Egyp-
to, a qua tota regio dicitur Thebaida, quae olim fuit
magna et opulenta civitas, ut habetur in legenda S. Mauritii
de legione Thebaea. Hanc nonnulli dicunt esse Chayrum
vel Babyloniam novam, ut dicetur suo loco. Tertia est in
Graecia. De prima fuit Elias propheta, a qua et nomen est
sortitus. Ad salvandam tamen veritatem nostri evagatorii
possumus dicere, quod forte contigit Eliae, sicut Christo
Domino nostro, qui conceptus est in Nazareth, et natus in
Bethlehem, nominatur Jesus Nazarenus, et non Bethlehe-
mitanus. Sic conceptus Elias in Thebis et natus in hyppo-
dramo dicitur Elias Thesbites, et non Hyppodrontes. Legi
tamen in quodam loco, quod hic quondam villa stetit, quae
etiam Thebes dicebatur. Merito ergo inter loca sancta locus
nativitatis tanti prophetae computatur, qui ante tria milia
annorum natus est, et nondum mortuus, qui ante judicem
venturus omnia restituet, ut habetur Malach. IV. et Matthaei 17.

De agro Abacuch prophetae.

Ab illo loco progressi juxta agrum Abacuch venimus.
De hoc propheta dicitur Daniel XIV., quod coxit pulmentum,
et coctum portavit messoribus in agrum hunc, quem angelus
Domini hic apprehendit in vertice ejus, et portavit eum ca-
pillo capitis sui, posuitque eum in Babylonem super locum
leonum in impetu spiritus sui, et prandium dedit Danieli. In
hoc ergo agro paululum substitimus, et providentiam divinae
bonitatis ammirati sumus, qua servis suis mirabiliter subvenire
consuevit. Unde Gregorius de hoc dixit: Daniel sine sollici-
tudine cibi et potus veritate ejus angelica fide vivens in
locum leonum inter rabida ora immanium bestiarum non fuit
a Domino desertus, sed de Iudea in Babylonem sub (B)
puncto temporis prandium a Domino per prophetam est alla-
tum. Quo exemplo manifestissime cognoscimus, servos Dei
secundum evangelica paecepta viventes hic egere non
posse, dicente propheta: junior fui et consenui, et non vidi
justum derelictum. Et iterum: non occidet Deus fame animam

